

05

A

2350





ILLUSTRIMUM
QUÆSTIO-
NUM ETHICARUM
DODECAS

Quam

Dirigente Jehova,

In Inclytâ Academiâ Wittebergenſi

SUB PRÆSIDIO

VVILHELMI NIGRINI

Cadâ - Bohemi PROFESSORIS Moralium
Publici

Publicæ, placidæq; diſquiſitioni ſubiicit

SIMON GÖTZIUS

Crimmicenſis Miſn, Alumn.

Elect. Sax.

In auditorio Collegii Veteris

Ad diem 21. Octobr. horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Typis hæredum GEORGII MÜLLERI.

ANNO M. DC. XXXV.




05 A^m 2050



D. O. M. A.

Q U Æ S T I O I.

An virtus homini naturâ insit?



Inter Platonem, & Aristotelem de hac questione convenire non videtur. Plato ait: Virtutem existere e naturæ seminario, seu, virtutem naturâ nobis inesse. Aristoteles contra: Virtutem nobis non ingenerari, sed industriâ & consuetudine, id est, exercitatione, & usu bonarum actionû comparari.

Ad dirimendam igitur hanc litem opus est distinctione; Nam I. vox virtutis accipitur vel pro aliquo virtutis inchoamento, & rudimento: quo sensu pueris, & infantibus, quandoq; attribuitur, si spem probitatis bonam de illis concipimus: vel sumitur pro habitu virtutis completo, & absoluto, qui non nisi adultis ex plenario voluntatis & rationis usu agentibus competit. 2. Phrasis illa, naturâ inesse, vel generaliter denotat omne id, quod naturali inclinationi conveniens est, seu quod ex principiis naturalibus eductum secundum naturam est, & à natura appetitur: Ita cognitio veritatis juxta Philosophum homini naturalis est, sive naturâ inesse perhibetur: Vel specialiter significat id, quod voluntario opponitur, seu, quod à solâ naturâ hominibus ingeneratur, & ad sui perfectionem exteriori aliquo non indiget. Ita vis nutriendi, generandi, videndi, naturâ inesse dicitur. Proindè si de qualicunq; dispositione, & inchoatione virtutis quærat, dicimus, virtutem naturâ nobis inesse, hoc est, ex seminibus, & igniculis divinitus nobis implantatis productam perficere naturam nostram, eiq; admodum

modum congruam esse. Nam quò quid perficitur, illud eidem naturale est: Unde Dionysius Areopagita lib. de divinis nominibus c. 4. dicit, naturale est homini secundum rationem vivere. Adhæc ipsa experientia testatur, alium hominem esse proclivorem ad temperantiam, alium ad fortitudinem, alium ad alias virtutes; quod certè non aliundè provenit, nisi ex naturali quadam ad virtutes inclinatione, quæ in diversis ingeniis pro temperamenti, & educationis diversitate maximè variat. Atq; hinc Aristoteles lib. 1. Ethic. cap. 1. appetitionem boni nobis naturalem dicit, & lib. 2. Ethic. cap. 1. virtutes non præter, nec contra naturam inesse, sed nobis ad eas recipiendas aptis, jamq; perfectis consuetudine parari docet. Quod si verò de habitu virtutis completo, & absoluto, qui propriè adultis tantum ex plenario rationis usu operantibus attribuitur, & de eo, quod ex solâ naturâ nobis perfectè ingeneratum est, quærat, præcisè negamus cum Aristotele lib. 2. Ethic. cap. 1. Virtutem moralem nobis naturâ inesse.

Cujus negationis nostræ has adducimus rationes 1. Quicquid assuetudine mutari potest, illud naturaliter nobis non inest, & contrâ. Atqui virtus moralis assuetudine mutari potest, ita ut qui habitum virtutis habet, si vitiosis actionibus indulgear, illo amisso habitum vitiosum contrahat, & contrâ, qui vitiosus est, si malis actionibus valedicat virtutiq; assidue studeat, ex malo effici potest bonus. Ergò virtus moralis naturaliter nobis non inest. Major ab Aristotele all: loc. probatur exemplo lapidis, & ignis: quorum illius natura est deorsum, hujus autem sursum ferri: quem naturalem motum perpetuò servant, neq; ulla assuetudine mutant: Unde verè olim cecinit Horatius lib. 1. Epist.

Naturam expellas furca licet, tamen usq; recurrit.
Et Juvenalis Satyr. 13.

————— Tamen ad mores natura recurrit
Damnatos fixa, & mutari nescia.

Minor liquet ex quotidianâ experientiâ: Videmus enim multos homines suos mores solâ conversatione, & consuetudine aliorum ita mutasse, ut quodammodo alii effecti sint, quàm antea fuerint. Nam non
solum

solum ex virtuosis, sepe sunt vitiosi, sed & ex vitiosis, quandoq; (licet
 raro) virtuosis. Sic intemperans ille Polemon, attestante Diogene Laer-
 tio continue temperanter agendo temperantia habitum assecutus est.
 Unde vulgo dicitur: Consuetudo est altera natura: Item, Corrum-
 punt bonos mores colloquia prava. 2. Quae natura nobis insunt,
 eorum potentia, & instrumenta prius nobis adsunt, antequam possi-
 mus earum functiones, & operationes producere. Sed in virtute
 morali diverso modo se res habet: Actiones enim virtutis habitum
 ejus praecedunt, cum hic per crebro iteratas actiones comparetur.
 Jam vero habitus rationem potentia, actio vero rationem actus ob-
 tinet. Ergo virtus moralis natura nobis non inest. Major de-
 claratur exemplo sensuum, quorum potentias, & instrumenta natura
 prius nobis addit, antequam possint functiones, & actiones suas ede-
 re, v. g. Infantes secum in hanc lucem asserunt potentiam, & instru-
 menta videndi, audiendi, & alia agendi, antequam actu ipso vi-
 deant, vel audiant. Minor per se clara est. Sicut enim a difi-
 cando sepius, efficimur edificatores, pingendo pictores, numerando
 Arithmetici, disputando Logici; ita frequenter justa agendo, aut
 temperanter vivendo efficimur justis, aut temperantes, atq; ita ista-
 rum virtutum habitum consequimur. 3. De quibus rebus ac-
 quirendis, & exercendis necesse est leges ferre, illae natura nobis
 non insunt. Quae enim natura nobis insunt, de illis, cum neq;
 in melius, neq; in deterius mutari possint, nulla plane fe-
 runtur leges. Sic v. gr. merito deridetur, qui de visu, auditu,
 olfactu &c. quatenus a natura proveniunt certas praescriberet le-
 ges. Atqui de virtutibus moralibus acquirendis, & exercendis ne-
 cesse est leges ferre: id quod probatur a scopo legislatorum, qui hoc
 praecipue in legibus suis spectant, ut cives suos a vitiis absterreant, &
 ad virtutes assuefaciant, ideoq; vitiis poenas, virtutibus v. premia
 decernunt. Atq; hoc modo viri boni, hoc est, omnis generis virtuti-
 bus praediti efficiuntur. Hinc Cic. lib. 1. de legibus ait: Legem o-
 portet esse emendatricem vitiorum, & commendatricem
 virtutum. Et Plato lib. 5. de Legibus: Fundamentum legum
 eo respicit, ut cives sint quam beatissimi, & maxime inter se
 amici. Ergo virtutes morales natura nobis non insunt. 4. Quae-
 cumq; ex iisdem, & per eadem generantur, & corrumpuntur, e a na-

A 3 turā



turâ nobis non insunt: quia natura eodem modo semper agens, ex
iisdem & per eadem non efficit contraria, qualia sunt generatio, &
corruptio. Unde Aristot. lib. 2. de ortu, & interitu c. 10. ait: Idem
eodem modo se habens in rebus naturalibus semper idem
producit. Atqui virtutes morales ex iisdem, & per eadem gene-
rantur, & corrumpuntur, nimirum per actiones crebrò repetitas,
quæ si sunt bonæ, generantur virtutum habitus: vicissim ex crebris
actionibus, si sunt vitiosæ, corrumpitur virtus, & in ejus locum in-
troducitur vitium. Sicut enim sæpius benè scribendo, pingendo,
canendo &c. efficitur bonus scriba, bonus pictor, bonus musicus: ita
etiam sæpes habet in actionibus habituum moralium. Siquidem
ex crebris actionibus justis, temperatis, aut fortibus generantur ta-
lium virtutum habitus, qui postea rursus per crebras vitiosas actio-
nes corrumpuntur. Ergò virtutes morales naturâ nobis non in-
sunt. 5. Quicquid non in omnibus hominibus eandem naturam
participantibus reperitur, neq; in omnibus operationem suam cum
voluptate edit, illud hominibus ^{natura} inesse nequit. Ratio est manifesta:
quia omne per se naturam aliquam consequens, semper illic est, ubi
natura. Cum autem in omnibus hominibus eadem omninò sit na-
tura, utiq; consequentia illius omnibus etiam hominibus inerunt;
Quicquid igitur tale non est, illud neq; naturam, perfectam sui cau-
sam agnoscit, neq; naturâ inesse potest. Præterea natura omnes a-
ctiones cum voluptate expedit, uti ex Aristot. lib. 2. Ethic. c. 9. constat,
Atqui virtus moralis non in omnibus hominibus eandem naturam
participantibus reperitur, neq; in omnibus operationem cum volu-
ptate edit, quod per se manifestum est, cum in multis nulla, in paucis
vix aliqua virtus deprehendatur, quæ tamen sine maximo labore,
& molestia non acquiritur: Semper enim ad vitia procliviores su-
mus, & majore cum voluptate vitia, quàm virtutes sequimur. Ergò
virtus moralis hominibus naturâ inesse nequit.

QUÆSTIO II.

An virtutes Ethnicorum sint pec- cata

Quem-

23

Quemadmodum illi in excessu peccant, qui virtutes Gentilium tantæ perfectionis prædicant, ut iis præditos salutem promereri, & consequi posse affirmant: Ita in defectu peccant, qui virtuosas Ethnicorum actiones adeò deprimunt, ut eas simpliciter, & absolutè peccatis, & operibus carnis, quæ sunt inimicitia adversus Deum, annumerent, Deoq; placere negent. Proinde ut mediâ, eaq; tutissima viâ incedamus, sciendum est, virtuosas Ethnicorum actiones dupliciter considerari: 1. Intrinsecè, seu formaliter ratione sua quidditatis, per quam tales sunt. 2. Extrinsecè, respectu subjecti, in quo sunt. Quod si igitur priori modo, nimirum intrinsecè, & essentialiter considerentur, dubium nullum est, quin bonæ, & peccatis annumerari nequeant. 1. quia proveniunt ex recta ratione, & ex naturâ, in quantum est bona, & aliquas congenitæ imaginis Dei portiunculas adhuc reliquas habet: quæ, cum bonæ sint, ex se malum effectum, seu peccatum non producant: Impossibile enim est, ut causæ bonæ effectum non bonum producant, cum causa, & causatum toto genere non differant, sed qualis causa, talis etiam sit effectus. Si enim virtutes morales Ethnicorum v. g. fortitudo, temperantia, liberalitas, justitia, formaliter, & in se essent vitia, sequeretur hoc absurdum, videlicet, quòd causæ harum virtutum essent vitiosæ, cum omne vitium effecti lateat in vitio causæ. 2. quia legi Dei hominum mentibus inscriptæ congruunt: Gentiles enim temperanter, & justè vivendo, legem Dei, quæ vitam temperantem, & justam requirit, non absolutè violabant; sed suo modo, ac pro viribus observabant. Hinc Apostolus Rom. 2. v. 14. dicit: Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt. Dum autem quis facit ea, quæ sunt legis, eo ipso per se non peccatum committit, sed virtutem exercet. Lex enim peccatum non præcipit, sed bonum. Atqui Gentiles honestè vivendo fecerunt ea, quæ sunt legis. Ergò eo ipso per se non peccarunt, sed virtutem exercuerunt. Quæcumq; igitur actio legi divinæ conformis est, illa non est opus per se malum, sed suo genere bonum. 3. Quia Deum habent autorem, à quò proficiscuntur: Causæ enim secunda sine concursu & operatione causæ primæ nihil agunt. Prætereà ipsæ virtutes Ethnicorum in se sunt bonum quid legi divinæ, & rectæ rationi consentaneum,

neum, atq; ex residuis divine imaginis scintillis resultans. Deus igitur erat, qui virtuosas actiones, heroicisq; motus in Ethnicis excitabat: Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum, inquit Jacobus in Epist. c. 1. v. 17. Hinc Augustinus lib. 14. de Civ. Dei c. 26. Deum vocat omnium voluntatum bonarum adiutorem. Et Epist. 130. scribit: Polemonis continentiam esse donum Dei Item lib. 4. contra Julian. c. 3. Quanto tolerabilius illas, quas dicis in impiis esse virtutes, divino muneri potius, quam eorum tribueris tantummodo voluntati, licet ipsi hoc nesciant. Huc spectat, quod Armandus de Bello Visu, Tract. 2. c. 126. habet: Quædam, inquiens, sunt à Spiritu S., sed non cum Spiritu S. ut virtutes, & dona in impiis. Et ita se habent virtuose gentilium actiones formaliter, & ratione suæ essentia considerata. Si autem porro extrinsecè, & ratione sui subjecti, quod est persona non renata, Deoq; exosa, & inimica, estimetur, largimur facile, virtutes illas per accidens respectu sui subjecti quodammodo infici, ac commaculari, ut Deo displiceant. Exempla hujus rei S. codex nobis suppeditat. Sic ipse Deus in Veteri Testamento præcepit ac instituit sacrificia, ideoq; hæc secundum legem, & bona, & Deo pergrata erant, quando à piis offerebantur; quando autem ab impiis peragebantur, prorsus exosa, & inimica ipsi erant, ut testatur apud Esaiam c. 1. v. 11. Quò mihi multitudo victimarum vestrarum dicit Dominus? v. 13. Ne offeratis ultrà sacrificium frustrà; incensum abominatio est mihi. Et cap. 66. v. 3. Qui immolat bovem, q. qui interficiat virum: qui mactat pecus, q. qui cervicem frangat cani: qui offert oblationem, q. qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, q. qui benedicat idolo. Sic etiam Deus à nobis requirit, ut ipsum colamus & laudemus. Quæ opera, videlicet laudes, preces, ac cultus Dei, Deo pergrata sunt, si proficiantur à personis fidelibus; si verò præstentur ab infidelibus, tum licet formaliter, & intrinsecè non sint peccata; attamen à Deo gratiosè non acceptantur, sed ipsi displicent, ac pro peccatis reputantur. Unde Deus ipse impio dicit Psalm. 50. v. 16. Cur recitas statuta mea, & assumis testamentum meum per ostium? Et Esai. 1. v. 13.

Nco-

128

Neomeniam, & Sabbathum, quando convocatis Ecclesiam,
nō feram *v. 14.* Calendas vestras, & solēnitates vestras odio ha-
buit anima mea, sunt mihi oneri, fatigatus sum sustinendo.
v. 15. Et cū extenderitis manus vestras, avertam oculos me-
os à vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exau-
diam. *Eodem planè modo universa virtutes, & honesta actiones,*
~~ut~~ ut in se sunt bonæ, quatenus tamen gentilibus, adeoq; infide-
libus insunt, per accidens in peccata degenerant: 1. quia fi-
unt sine fide. Absq; fide autem impossibile est placere Deo:
Hebr. *ii. vers. 6.* Fides enim virtutum q. anima est, sine qua o-
mnia opera Deo displicent, & peccata estimantur. Unde Ambro-
sius *lib. 1. de vocatione gentium. c. 3.* inquit: Sine cultu veri Dei
etiam, quod virtus videtur esse, peccatum est nec placere
Deo ullus sine Deo potest. Augustinus *contra duas Epistolas*
Pelagianorum c. 5. Sine fide, quæ videntur bona opera esse,
in peccata convertuntur. *Epist. 105.* Opera bona fiunt ab ho-
mine: fides autem in homine, sine quâ illa à nullo fiunt ho-
mine. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Et
Anselmus *in Comment. super cap. 14. Rom.* Omnis vita infide-
lium peccatum est, & nihil bonum sine Summo bono 2. quia
non ad Dei, sed propriam gloriam referuntur: Quæ enim præclare
illi egerunt, eò spectabant omnia, ut ab hominibus laudarentur
famaq; immortalitatem sibi compararent. Hinc agebat ille: Quan-
tos toleramus labores, ut Athenis in theatro benè audiamus?
Trajanus Imperator gloria paranda adeò avidus fuit, ut nomen
suum ubiq; inscribi juberet, & propterea à Constantino M. her-
ba parietaria vocaretur. Hinc Theophylactus *in Enarratione*
super c. 6. Job. p. 223. verissimè ait: Quamvis boni quidam gen-
tiles habiti sint, omnia tamen ad vanam gloriam fecerunt.
Jam autem actiones ex fine judicantur: hic enim quasi esse largitur
operi. Si ergo finis bonus est, tūc & opus tale dicitur: si verò ille ma-
lus, tūc & opus malum censetur. Undè scitè Augustinus *lib. 4. con-*
tra Julian. c. 3. scribit: Cum facit homo aliquid, ubi peccare
non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere
debet, peccare convincitur. Item: Non actibus sed finibus

B

penfan-

pensantur officia. Et lib. 18. de Civ. Dei cap. 25. Virtutes nisi ad Deum referantur, non sunt virtutes.

QUÆSTIO III. Utrum de vitiis sit agendum in Ethicis?

Nonnulli pari ratione, quâ fallacias ex Logicis proscribunt, etiam doctrinam vitiorum Ethicæ tractationi minimè convenire contendunt.

Contrarium verò non tantum autoritate Aristotelis, qui doctrine virtutum tractationem vitiorum passim adjungit, & modum cavendi monstrat, sed & firmissimis rationibus facile probatur. Nam 1. Contrariorum eadem est scientia, & disciplina juxta Aristotelem. Jam autem virtus, & vitium sunt contraria. Ergò in eadem disciplinâ considerantur, & per consequens, quia in Ethicis agitur de virtutibus, ibidem & de vitiis agi debet. 2. Contraria juxta se posita magis elucescunt. Virtus autem, & vitium uti dictum, sunt contraria. Ergò in Ethicis de vitiis tractandum erit, ut virtutum doctrina magis elucescat. Hinc medium, in quo virtus consistere dicitur, imperfectè, & confusè saltem cognoscetur, nisi addantur extrema, inter quæ mediocritas sit servanda. Imò vitium sæpè virtutis speciem habet. Ne igitur pro virtutibus vitia apprehendamus, necesse est, ut in Ethicis etiam de vitiis agamus. 3. Summo bono (civili) contraria est summa miseria, quæ in aliqua disciplinâ, & quidem in nulla alia, quàm in Ethicâ tradi debet. Ergò etiam vitia illa, quæ ad miseriam illam deducunt, ibidem tradenda erunt.

Distinguendum tamen hinc inter ea, quæ in Ethicis tractantur primò & principaliter, & inter ea, quæ ibi secundario, & propter aliud tractantur. Si loquamur de essentiali tractatione, aut parte constituyente, aut de proprio Objecto, aut sine adequato facile damus in Ethicâ, hoc modo de vitiis primò, & principaliter non agi, sed tantum secundariò, & propter aliud, nimirum uberius perspicuitatis, distinctiõnis, explicatiõnis, & tractatiõnis ergò, ut virtutes
magis

230

magis magisq; elucescant, à nobis cognoscantur, & apprehendantur, nec non ab aliis actionibus rectè discernantur.

QUÆSTIO IV.

An vitia omnia sint paria?

Ita quidem sentiebant olim Stoici, quorum opinionem his exponit verbis Diogenes Laërtius in Zenone: Ut verum vero magistale non est, neq; falsum falso; ita nec fraus fraude, nec peccatum peccato. Nam & qui centum stadiis Canopo abest, & qui uno, pariter non sunt in Canopo. Sic qui parum, vel magnum delinquit, pariter abest à recto. Idem testatur Cic. in Orat. pro Murenâ, p. 201. Stoici, inquit, dicunt omnia peccata esse paria, omne delictum scelus esse nefarium, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam qui patrem suffocaverit. Et lib. 4. de finibus pag. 172, 173. scribit: Stoici arbitrabantur homines sceleribus, & patricidiis inquinatos nihilo miseres esse, quam eos, qui cum castè, & integrè viverent, nondum perfectam illam sapientiam essent consecuti. Et paulò post: Nihil ergò adjuvat procedere, & progredi in virtute, quo minus miserimus sit, antequam ad eam pervenerit.

Ceterum falsam, & absurdam esse hanc Stoicorum opinionem exinde probatur: Nam 1. Una virtus altera est præstantior. Ergo & unum vitium altero est deterius: quia contrariorum eadem est ratio: quanto excellentior igitur est virtus, tantò gravius erit vitium virtuti illi oppositum. 2. Diversa objecta faciunt etiam diversitatem ipsarum rerum. Omnis enim habitus pro diversitate objectorum diversificatur: Jam autem objecta vitiorum sunt diversa: Ergo & vitia sunt diversa: Et per consequens, vitium illud, quod est circa ipsam hominis substantiam, ut homicidium, gravius est eo, quod circa bona externa occupatur, quale est furtum. 3. Principia vitiorum sunt diversa: In aliis enim major, in aliis minor est voluntas ad peccandum: Ergo & ipsa vitia, quorum principia ita diversificantur, inter se non sunt equalia, sed maximè variant. Quò major enim est voluntas ad peccandum, eò majus est vitium: quò minor est

B 2

volun-

voluntas, eò etiam tolerabilius est vitium. 4. Vitia non equaliter, sed diversimodè, & nonnulla quidem magis, nonnulla minus puniuntur. Ergo non sunt paria: Diversitas enim pœnarum non aliundè, quàm ex diversâ vitiorum gravitate oritur. Si itaq; vitia essent paria perperam leges omnes adversus vitia pœnas statuerent impares. 5. Delicta ex variis circumstantiis vel graviora vel leviora redduntur: Licet enim omnia vitia in eo conveniant, quod sint vitia, & quod pœnam mereantur, adeoq; respectu generis considerata, equè paria dici queant; attamen in specie, & ratione modi vitiositatis maximè variant, ideoq; magna illorum inequalitas deprehenditur, sive diversa inter se vitia conferantur, sive singula seorsim considerentur suis ipsorum circumstantiis, & gradibus, quibus à parvis initiis paulatim assurgunt. Vitia enim ex circumstantiis personarum, locorum, temporum, rerum, & mediolorum sunt æstimanda; iccirco accuratè hîc attendendum, quis, in quem, ubi, quando, quomodo, quâ in re, quo animi proposito, & quibus de causis delinquat; v. gr. ratione personæ magis peccat, qui fratrem deserit, seu pecuniâ fraudat, quàm qui civem, aut alienum; qui patrem occidit, quàm qui servum, qui Magistratum injuria afficit, quàm qui quemlibet alium &c. ratione loci gravius est delictum illud, quod fit in publico loco in conspectu Magistratus seu populi, quàm quod clàm fit in privatis ædibus. Eadem ratio est aliarum circumstantiarum, pro quarum varietate variant quoq; vitia, ac propterea non eandem, sed interdum graviozem, interdum mitiorem pœnam merentur. Intellexit hoc Aristoteles, quando lib. 6. Eth. Nic. c. 5. scribit: Si quis Magistratum gerens aliquem percusserit, reperiendus non est. Et si quis Magistratum percusserit non solum est percutiendus, sed & supplicio afficiendus. Et iterum lib. 8. Eth. c. 9. Diversæ etiam injuriæ ad unumquemq; horum sunt, incrementumq; accipiunt quò magis erga amicos sunt: ut pecuniis socium privare, gravius est, quàm civem: & non opem ferre fratri, quàm alieno: patrem item percutere, quàm quemlibet alium. Imò opinionem istam Stoicorum, tanquam portentum aliquod jam olim ipsi etiam Ethnici exploserunt: Vide Cic. lib. 4. de finibus p. 173. Plutarchus lib. de Stoicis, & lib. de profectu in virtute, nec non alii.

QUÆ

QUÆSTIO V.

An ea, quæ ex irâ, cupiditate, aut aliquo alio vehementiori affectu fiunt, rectè dicantur invita?

Cicero in *Topicis*, & *Partitionibus* dicit in ignoracionem quoque cadere metum, cupiditatem, aliasque animi perturbationes. Unde quidam colligunt, talia facta esse invita, ac proinde veniam, & excusationem mereri.

Opositum autem nos cum Philosopho lib. 3. *Eth. Nic.* c. 1. tuemur. Nam si ea, quæ ex irâ, cupiditate, aut alio aliquo vehementiori affectu oriuntur, non spontanea, sed plane invita sunt dicenda, sequitur 1. Omnia quæ à pueris, & brutis animalibus fiunt, esse invita: Bruta enim, & pueri solis ducuntur perturbationibus, neque enim ex ratione agere possunt, cum eâ vel omninò careant, ut bruta animalia, vel ejus usum non habeant, ut pueri. 2. Non solum turpes, sed & multas honestas actiones ex bono, & laudabili aliquo affectu profectas, esse invitas nominandas. 3. Virum bonum invitum benè agere, invitum facere officium suum, invitum etiam expetere virtutem, eruditionem, laudem, honorem, gloriam, salutem patriæ, sanitatem, ac felicitatem cum suam, tum suorum; item invitum amare parentes, liberos, viros bonos; item, invitum irasci sceleratis, ac improbis, gaudere rebus prosperis, dolere adversis. Hæc enim & similia ex affectu aliquo proveniunt. 4. Omnia quæ ex irâ, aliisque animi perturbationibus fiunt, esse molesta; (qualia sunt omnia invita) cum tamen teste experientia videantur jucunda, & in ipsâ irâ quedam jucunditas, propter vindictæ cupiditatem reperiatur. Unde Homerus lib. 18. *Iliad.* scribit: Iram Achilli fuisse instar mellis, quod sub linguâ ejus liqueceret. 5. Iram, cupiditatem, reliquosque affectus, suum principium non in homine, sed extra hominem habere: cum invita propriè dicantur ea, quorum principium est extra agentem. Si igitur actiones ex affectibus ortæ dicantur invita; utique principium earum non erit querendum in homine, sed potius extra hominem. At hæc omnia sunt inconvenientia, & falsa. Ergo etiam inconveniens, & falsum est, quod actiones ex irâ, cupiditate, aut alio aliquo vehementiori affectu profectæ dici debeant invita, ideoque veniam, & excusationem mereantur.

QUÆ.

QUÆSTIO VI.

An Electio brutis competat?

S*I vox electionis sumitur communiter & latè pro quovis appetitu, quo sensuum beneficio una res alteri anteponitur, aut præ alterâ vitatur, largimur facillè, hoc significatu electionem in bruta cadere, cum illa sensuum ductu aliquid præ alio persequantur, & hoc magis, quàm illud fugiant. Si vero terminus electionis propriè, & strictè accipitur pro tali electione, quam præcedit consiliū, & rationis judiciū dirigit; unde electio ab Aristot. lib. 3. Eth. Nic. c. 3. definitur præmeditata appetitio eorum, quæ in nostrâ sunt potestate, aut per nos fieri possunt: tum eam brutis attribui posse negamus ob sequentes rationes. 1. Ubicunq; non datur potentia ad oppositorum utrumq; in determinata, ibi non datur electio. Ubi enim datur electio, ibi etiam datur potentia ad utrumq; oppositorum indeterminata. Quia is demum eligere dicitur, qui, cum utrumq; facere queat, hoc solum facit, illud verò non facit. Jam verò in brutis non datur potentia ad oppositorum utrumq; indeterminata: sed potius ad unam tantum partem determinata. Siquidem natura illorum utpote determinationis hujus causa uno, eodemq; modo semper agit; sola autem rationalis potentia in oppositum etiam est, uti habet Philosophus lib. 9. Metaph. Ergo in brutis non datur electio. 2. Quæ destituuntur ratione, illis electio non competit. Electionem enim præcedit consultatio, quæ rationem necessariò præsupponit. At bruta destituuntur ratione; quia carent animâ rationali, quâ solâ homo à brutis distinguitur. Unde etiam propria rationis, videlicet ratiocinatio, disciplinæ capacitas, risibilitas, loquela &c. in brutis non apparent. Ergo brutis electio non competit.*

QUÆSTIO VII.

U*trum in hominis arbitrio, & potestate positum sit virtutem colere, & vitia fugere?*

Diverse

29
Diverse fuerunt veterum Philosophorum de hac quaestione opiniones. Nam Stoici, & qui ante eos vixerunt, Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristippus, & multi alii dixerunt: Omnia ab hominibus fieri fatali quadam necessitate, quemadmodum ab aeterno ita fuerit decretum, & constitutum seu praefinitum, ita ut in hominis arbitrio non positum sit hoc vel illud agere, aut non agere, bonum vel malum esse, bene vel male agere, quemadmodum ab aeterno fataliter fuit determinatum, & constitutum. Platonici vero concedunt quidem in hominis voluntate, & potestate esse situm bene agere, & virtutum actiones esse spontaneas, atque voluntarias; ad vitia autem, & malas actiones, ajunt, homines quodammodo invitos & nolentes pertrahi, & rapi a vehementioribus cupiditatibus; atque ideo peccata non esse spontanea, & homines non sponte esse malos.

Verum enim vero, quod non solum virtutes, sed etiam vitia in hominis arbitrio, & potestate consistant, adeoque voluntas nostra quoad actiones externas, ac civiles ad hanc vitam, politicamque conversationem pertinentes omnino libera sit, sequentibus argumentis demonstrabimus. 1. Quorum causa, & principia sunt in hominis arbitrio, & potestate, ea ipsa quoque sunt in ejus arbitrio, & potestate, hoc est, adeo libera sunt, ut penes hominem sit ea vel facere, vel omittere: ratio est, quia effectus imitatur naturam cause: qualis enim causa, talis etiam effectus. Si igitur causa est voluntaria, etiam effectus est voluntarius. Jam vero actionum tam bonarum, quam malarum, (ex quibus habitus virtutum, & vitiorum generantur) cause, & principia sunt in hominis arbitrio, & potestate. Ergo ipsae quoque actiones tam bonae, quam male sunt in hominis arbitrio, & potestate. Minor probatur, quia actionum, & habituum cause sunt voluntas, consultatio, & electio; quae omnia sunt in hominis potestate; id quod declarari potest ex natura contrariorum, quorum eadem est ratio. Si enim in nobis situm est, aliquid facere, utique in nobis etiam situm est, illud non facere: Et vice versa. Si in nobis situm est aliquid non facere, etiam situm est in nobis aliquid facere. Quapropter si in nostra potestate est aliquid facere, quod est honestum, etiam in nostra potestate erit, facere aliquid, quod est turpe; & rursus, si in nostra potestate est non facere id, quod est honestum,

nestum, etiam in nostrâ potestate erit, non facere id, quod est turpe.
2. Si actiones virtutum, & vitiorum non sunt in hominis potestate, & arbitrio, tùm frustra constituuntur leges, præmia, & pœna, quibus homines ad virtutes excitantur, & à vitiis avocantur. At consequens est falsum: quia nō saltem legum, sed etiam præmiorum, & pœnarum magna vis est ad studium virtutis, & honestarum actionum excitandum; Unde non pauci honoribus, & præmiis incitantur, ut virtuti studeant, non pauci etiam minis & pœnis, quæ legibus sancuntur, à sceleribus absterrentur. Ergo & antecedens falsum est. Consequentia patet; nam quæ in hominis potestate, & arbitrio non consistunt, de iis frustra feruntur leges, aut dantur præcepta, aut instituntur cohortationes, vel dehortationes ad illa suscipienda, vel omit-tenda. Quod Aristoteles lib. 3. Eth. c. 5. declarat exemplis actionum naturalium, ut esurire, frigere, calere. Meritò enim ridetur, qui conatur, aut præcipere, aut persuadere esurienti, ne esuriant, aut frigenti, ne frigeat, aut febrili calore aestuanti, ne caleat; quia tales actiones non sunt in nostro arbitrio, & potestate, ut eas suscipere, vel omitte-re queamus, quotiescunq; volumus. Ideò in Proverbio dicitur: Ven-ter caret auribus. 3. Si actiones virtutum, & vitiorum non essent in hominis arbitrio, & potestate, injustè punirentur tùm ii, qui scien-ter contra leges peccant, tùm ii, qui per imprudentiam, aut ignoran-tiam aliquid flagitij committunt si hujus ignorantie ipsi sint autores, & cause. At falsum est posterius. Nam Plato lib. 12. de legibus, & in Gorgia inquit: Vitia hominum atq; fraudes, damnis, ignomi-niis, vinculis, verberibus, exilio, morte punire solent homi-nes: Et meritò quidem. Ergo & prius falsum est. Ratio con-sequentia hæc est, quia injustum est immerentem, & invitè agentem punire: Idcirco rectè ait Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom: Nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia justa sunt, si anima non habeat liberam potestatem, & appetendi, & abstinendi, sed sit vitium involuntarium. Et August. lib. de duabus animabus inquit: Neq; hinc libri ob-scuro mihi scrutandi, unde discam neminem vituperatione, supplicio vè dignum, qui id non faciat, quod facere non potest; Nonne ista cantant, & in montibus pastores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis,
& Magi-

29
& Magistri in Scholis, & Antistites in sacris locis, & in Orbe terrarum genus hominum? 4. Si nulla est libertas in actionibus humanis, nulla etiam est actio moraliter bona, aut mala. Sed hoc est falsum. Ergo & illud. Connexio patet; id enim est bene agere, ad honestatem, & legem naturæ actiones suas conformare: conformari autem ad alterum nihil potest, nisi id, quod in potestate eius est, qui conformare velit. Similiter male agere, ille tantum dicitur mortaliter, cujus actiones illi regulæ conformes non sunt, cum esse tamen potuerint, & debuerint. Unde est, quod bruta non peccant, etiam agendo id, quod cum homo agit, reverà peccat. 5. Si homini omnis libertas denegatur, etiam ratio eidem denegabitur. Atqui hoc est absurdum. Ergo & illud. Connexio patet: rationis enim vis, & facultas, quæ homo ornatus, & donatus, libertatû defectum non admittit. Hac enim præterita cum futuris, distincta inter se, & opposita cum oppositis comparat, atq; ita ex collatione posteriorum cum prioribus, quid in unâ quâq; re vel faciendum vel omittendum sit dijudicat. 6. Quod experientia quotidiana probat, de eo commodè dubitari non potest. Atqui dari liberum arbitrium in rebus externis & civilibus probat quotidiana experientia, ostendens scilicet penes hominem esse non tantum, ut ambulet, vel non ambulet, sed etiam ut virtuti studeat, vel non studeat. 7. Si improbitas hominum non est spontanea, utiq; non modò omnia quæ de principiis humanarum actionum dicuntur, erunt incerta, dubia, & falsa; sed & hominum peccata, & actiones malæ ad alia principia, aliasq; causas extra hominem referri necesse fuerit. At hoc posterius est absurdum: Siquidem non tantum certa, & indubitata sunt, quæ de principiis humanarum actionum dicuntur, sed & ea ipsa principia, unde actiones illæ proficiuntur, non sunt extra hominem, sed in homine. Ergo & prius.

QUÆSTIO VIII.

An omnes affectus simpliciter sint mali,
& vitiosi,

SToici existimarunt affectus omnes suâ naturâ esse prævos, rationi adversos, viro sapienti nullâ ratione congruentes, ideoq; ab animo

C

nimo

nimo virtutis studioso penitus removendos: Verum non absolute, & per se omnes affectus tales esse facile patet ex sequentibus rationibus.

1. Quicquid à Deo proficiscitur, illud per se, & absolute non potest esse malum: Quemadmodum enim ipse summè bonus est: ita etiam omnia naturaliter bona sunt, quæ ab ipso sunt. Jam autem affectus quæ tales, à Deo proficiscuntur: homo enim à Deo, & naturâ, ejus famulâ, & ministrâ (quæ nil temerè, & frustrâ facit, sed singula in congruentem scopum dirigit, cunctisq; ea sola præbet, quæ pro finis adeptione eis conducunt,) donatus est affectibus, seu facultate irascendi & concupiscendi, quæ movet, & recipit in se affectus. Ergo affectus ut tales, in se, sine adharente inordinatione considerati non sunt mali.

2. Quicquid Scriptura Sacra approbat, commendat & requirit, illud per & in se non potest esse malum. Atquæ Scriptura Sacra approbat, commendat & requirit affectus, ut, timorem. Deut. 4. v. 10. Gaudium, Proverb. 21. v. 15. Misericordiam, Luc. 6. v. 36. Odium mali, prosecutionem boni, amorem, honorem, spem, Rom. 12. v. 9. 10. 12. ibid. v. 15. Jubemur gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, Psalm. 4. v. 5. & Eph. 4. v. 16. dicitur: Irascimini & nolite peccare. Ubi mandatur affectus, & vitium illius prohibetur, atq; ita inter rem, & ejus vitium expressè discernitur: Imò ipse Spiritus S. amorem erga Deum, proximum, conjuges, liberos &c. Item gaudium in bono, spem in calamitate, aliosq; affectus excitare dicitur. Ergo affectus per, & in se non possunt esse mali.

3. Ex quocunq; per rectum usum variæ, & eximie eliciuntur utilitates, illud per, & in se non est malum, sed ut utile jure commendatur. Atqui ex recto usu affectuum variæ, & eximie eliciuntur utilitates. Ergo affectus per & in se non sunt mali, sed ut utiles jure commendantur. Minor probatur. Nam affectus per naturam nobis sunt insiti, ut potentius in optatum finem feramur, cumulatius illum assequamur, & jucundius eo fruamur. Quemadmodum enim in mari tranquillo, nullog; vento spirante navis immota stat; Ita quoq; animus noster staret, nullamq; in partem se moveret, si affectibus destitueretur. Animus, uti rectè censet Herodes Atticus apud Gellium lib. 19. c. 13. omninò langueret, & torperet, nisi his agigaretur motibus & quasi concuteretur. Sine affectibus, inquit.

quit Seneca lib. 1. de Ira. c. 5. languet omnis actio, & vis, ac vigor animi resolvitur. Hinc eos Plato in Philebo animi nervos indigitavit, significans, animum iis laxari, & contrahi, attolli & dimitti, non aliter atq; corpus nervis. Plutarchus lib. de virtut: moral. illos vocavit ansas Philosophiæ, quibus & ipsa capiatur, & virtus apprehendatur. Adeo nimirum affectus natura nostra non nocent, ut illi potius inserviant, & adjumento sint ad virtutum actiones expeditius, ac felicius perficiendas. Sic ira conducit fortitudini, quatenus vires auget, promptiores nos reddit, arma ministrat, timoremq; longè repellit: iccirco vulgò nuncupatur calcar, & cos fortitudinis, sine qua, & Orator prorsus friget, juxta Cicer. lib. 4 Tuscul. quest. Sic misericordia benefactorum mater conducit, imò extimulat nos ad opem aliis ferendam. Metus facit, ut caveamus turpia, & vitemus noxia, quæ vires nostras superant. Tristitia castigat delinquentes, & aberrantes in viam reducit. Amor, & odium cum reliquis affectibus civili vitæ ita commodant, adeoq; natura nostra conveniunt, ut homines sine iis nec rectè, nec secundum virtutem vivere, nec feliciter servari queant: Unde Lipsius lib. 3. Manuduct. in Stoicam Philosophiam verissimè scribit: Sine ira fortitudo non erit, sine metu prudentia, sine cupidine temperantia, sine lætitia sensus, amorq; virtutis. Quam etiam ob causam apud Lacedæmonios, attestante Plutarcho in Cleomene, timori, risui, & omnibus propè affectibus templa erant dicata. Adhæc insiti nobis sunt affectus non tantum ut testentur de Deo, quod irascatur peccatis & rellè factis gaudeat, verum etiam, ut naturam juvent, valetudinem tueantur, ingenium acuunt, & totam vitam servant. Iccirco reprehensionem merito incurrit is, qui iis, pro quibus oportet, non irascitur, eorum quorum misereri debet, non miseretur, in malis non tristatur, in bonis non lætatur, metuenda non metuit, speranda non sperat, amanda non amat, nec odio prosequitur, quæ odio maximè digna sunt. 4. His tandem accedit autoritas Patrum. Nam D. Augustinus lib. 14. de Civitat. Dei c. 8. & 9. luculenter ostendit, cives sanctæ civitatis Dei, in hujus vitæ peregrinatione, sub Christi lege viventes, metuere, cupere, dolere, gaudere; & nisi hoc facerent, inquit, adversarentur mandatis Dei: id namq; facere debent,

C 2

bent,



bent, pro quibus, quando, quantumq; oportet. Et D. Chry-
stomus explicans sententiam illam, Matth. 5. v. 22. Qui irascitur
fratri suo sine causâ, reus erit iudicio: *disertè ait.* Quare qui ira-
scitur cum causâ non erit reus, alioquin inaniter adderetur ea
conditio, *sine causa:* Si enim ira non fuerit, nec doctrina pro-
dest, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur. Ex quibus ap-
paret omnes affectus non simpliciter esse malos & vitiosos.

Pro meliore tamen quæstionis hujus intelligentia sciendum est,
affectus dupliciter considerari. 1. quatenus sunt motus naturales
animæ sensitivæ; atq; sic in suo genere boni sunt, bonitate nempe na-
turali; moraliter autem nec boni, nec mali sunt. Nam ut Aristoteles lib.
2. Ethic. Nicom. c. 5. p. 52. rectè docet, ex affectionibus nec probi,
nec improbi nominamur, item, affectiones nobis nec laudi dan-
tur, nec vitio: Nec enim qui timet, nec qui irascitur, laudatur,
nec qui omninò irascitur, vituperatur, sed qui quodammodo.
2. quatenus imperio rationis subjacent, vel ab eadem dissenti-
unt: atq; sic moraliter boni, vel mali dicuntur: Quemadmodum
enim virtus ut & vitium ex animo agentis estimatur, ita etiam affe-
ctus, an moraliter boni, vel mali sint, ex animo agentis judicantur.
Affectus igitur moraliter boni sunt, qui dictamini rectæ rationis sub-
jiciuntur: mali verò qui à præscripto sanæ rationis exorbitant. Unde
rectè monet B. Augustinus lib. 9. de Civ. Dei c. 5. col. 504. In di-
sciplinâ nostrâ non tam quæritur, utrum pius animus irascatur,
sed quare irascatur: nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis: nec
utrum timeat, sed quid timeat: Irasci enim peccanti, ut corri-
gatur: contristari pro afflicto, ut liberetur: timere periclitan-
ti, ne pereat nescio, utrum quisquam sanâ consideratione re-
prehendat. Et lib. 14. de Civ. Dei. c. 8. col. 765. Cupiunt, ti-
ment, lætantur & boni, & mali. Sed illi benè, isti malè, sicut
hominibus seu recta, seu perversa voluntas est.

Patescit hinc, quod non omnes affectus absolutè, per se & sim-
pliciter sint vitiosi. Propterea hæc nullo modo inter se confundi de-
bent; affectus aliqui sunt mali; & affectus sunt mali, quia sunt affe-
ctus. Sicut enim actiones multe sunt malæ, & nulla tamen earum
est mala, quia est actio, v. g. Extensio manus non est mala, quate-
nus est

48
nus est extensio manus, licet extensio manus ad rem illicitam, seu alienam invito Domino auferendam sit mala. Ita etiam affectus quidam mali esse possunt, (& sunt omnes, qui rectæ rationi repugnant,) neq; tamen mali, quatenus sunt affectus. v. g. Irasci, quatenus tale non est malum; licet innocenti irasci malum sit.

Notandum præterea, quòd inter affectus sæpenumero recensentur quedam, quorum statim nomina pravitatem aliquam indicant, & plus sunt, quàm simplices affectus, ut invidia, ἐπιχαιρῆ ἐκακία, emulatio, impudentia, & similia. Quemadmodum enim turpes actiones, ut furtum, scortatio, adulterium & c. non sunt actiones tantum, seu nuda actiones, sed actiones à lege Dei exorbitantes, & cum rectâ ratione pugnantes. Ita etiam invidia, ἐπιχαιρῆ ἐκακία, & si quid simili modo afficit animum, non sunt affectus tantum, seu nudi affectus, sed affectus à rectâ ratione deflectentes: Sic invidia plus est, quàm dolor, adeoq; plus quàm simplex affectus: Est enim talis à dolor, qui ex prosperitate, & commodo proximi concipitur. ἐπιχαιρῆ ἐκακία plus est quàm voluptas, adeoq; plus quàm simplex affectus: Est enim talis voluptas, quæ ex proximi adversitate, & incommodo percipitur.

Cæterum non tantum affectibus annumerantur, quibus pravitas, sed etiam quibus bonitas moralis inest. Ita εὐεργίᾳ parentum in liberos, & liberorum pietas erga parentes, affectus judicantur, (utrinq; enim amor est,) & quidem boni, (siquidem parentes amare, & liberos amare nemo dixerit malum, sed bonum:) non tamen sunt simplices affectus, sed affectus cum sanâ ratione amicè conspirantes; notant enim non saltem amorem, sed amorem illius, quem & lex naturæ, & recta ratio amare dicitur.

QUÆSTIO IX.

An in potestate hominis sit moderari affectus?

Affirmativa per se satis conspicua est, nos tamen eam ex abundantia ita munimus I. Penes quem est virtutē morālē sibi acquirere, & acquisitam exercere, in ejus etiam potestate est moderari affectus.

Virtus enim moralis abq; impetuosorum affectuum coërcitione, seu moderamine acquiri, & exerceri nequit. At penes hominem est virtutem moralem sibi acquirere, & acquisitam exercere. Ergo etiam in hominis potestate est moderari affectus. 2. Quicumq; affectus suos naturales ad bonum morale liberè determinare, atq; recte rationis imperio subicere potest, in illius potestate est affectus moderari. Atqui homo affectus suos naturales ad bonum morale liberè determinare, atq; recte rationis imperio subicere potest. Ergo in hominis potestate est affectus moderari. 3. In cuius potestate est teneros puerorum animos à pravis moribus abducere, rectè instituere, flectere, & ab ineunte etate ita assuefacere, ut discant delectari, & dolere iis rebus, quibus, quando, & quantum decet, in illius potestate etiam est moderari affectus. Jam verò in hominis potestate est teneros puerorum animos à pravis moribus abducere, rectè instituere, flectere, & ab ineunte etate ita assuefacere, ut discant delectari, & dolere iis rebus, quibus, quando, & quantum delectari, & dolere eos decet; teste ipsa experientia. Ergo in hominis potestate est moderari affectus. 4. Si vitiosos affectus coërcere, attemperare, & ad justam mediocritatem redigere, non est in hominis potestate, sequitur frustra ferri leges, & dari præcepta, frustra etiam institui adhortationes, & dehortationes de inordinatis affectibus fugiendis, moderandis, & sedandis. Ratio connexionis est ista, quia frustra præcipiuntur illa suscipienda, vel omittenda, quæ in hominis potestate non consistunt. At consequens est falsum: quia legum, præceptorum, & adhortationum de affectibus moderatis prosequendis, & immoderatis devitandis, magna omninò vis est: qui enim iis sunt obediens, impetuosos affectus refrenare, ac comescere omninò possunt, quemadmodum & à multis feliciter est factum. Ergo & antecedens falsum est. 5. Si affectus moderari non esset in hominis potestate, utiq; ob immoderationem affectuum nemo hominum jure vituperari, ac puniri posset. Nullus enim jure vituperari, ac puniri potest, ob id quod in suo arbitrio, ac potestate non est situm; imò injustum foret immerentem, nihilq; agentem vituperare, ac punire. At posterius est falsum. Ergo & prius.

QUÆ

QUAESTIO X.

An ebrietas flagitium commissum excuset, & num propterea mitius sint puniendi illi, qui per ebrietatem, quàm qui sobrii peccant?

Affirmativam qui tuentur, ita arguere solent. 1. Si infans, mente captus, furiosus, & quasi mortuus minimè ob delicta puniuntur, aut certè mitius, quàm alii: utiq; & ebrii ob peccata puniri non debent, aut certè mitius, quàm sobrii: quia hi injure illis omnibus comparantur & similes judicantur. At prius est verum attestante communi experientia. Ergo & posterius. 2. Quicumq; non ex voluntate, & proposito, sed ex ignorantia, & cæco quodam impetu peccat, is meritò excusatur, vel mitius punitur eo, qui scienter, & volenter peccat; quia gravitas peccati ex ~~negligentiâ~~ seu voluntate peccantis aestimatur. Ubi igitur nullus rationis usus, nullum vitæ gerendæ consilium, nullus consensus; ibi etiam nulla obligatio ad penam, vel certè mitior pena locum habet, quàm apud illos, ubi ex proposito delinquitur. Jam autem ebrii peccant non ex voluntate, & proposito, sed ex ignorantia, & cæco quodam impetu; unde injure habentur similes dormientibus, ac propterea dicuntur vitam edormire, & mentis exilium pati. Ergo ebrii peccantes meritò excusantur, vel mitius puniuntur sobriis, qui ex proposito peccant.

Cæterùm pro negativa, quòd scilicet non mitius sint puniendi, qui per ebrietatem, quàm qui sobrii peccant, militat hæ rationes. 1. Propria turpitudine neminem excusat. Jam verò ebrietas peccantis est propria ipsius turpitudine: Hinc dicitur vitiorum fomes, errorum nutrix, omniumq; malorum metropolis. Ergo ebrietas peccantem non excusat. 2. Quicquid peccandi licentiam contra bonos mores importat, illud.

illud excusationem non meretur. Atqui huiusmodi pena remissio, seu mitigatio, quoad ebrios delinquentes, licentiam peccandi contra bonos mores importat: quia hac ratione ebrii commodum aliquod sentirent ex vitio ebrietatis. Ergo excusationem non meretur. 3. Quorum peccatorum principium est in nobis, illa sunt voluntaria, & propter ea merito punimur, & non excusamur. Atqui illorum peccatorum, quae ebrii committunt, principium est in ipsis; possunt enim vinum modicè bibendo ebrietatem vitare, & sic etiam flagitium illud, quod per ebrietatem perpetratur. Ergo peccata illa ebriorum sunt voluntaria, & propter ea merito puniuntur, & non excusantur, ac per consequens, non mitius puniendi sunt qui ebrii, quam qui sobrii facinus aliquod committunt. 4. Quicumq; plura mala agit, & cumulat, ille aggravat peccata, ideoq; non excusatur, sed merito punitur, & quidem gravius, quam ille, qui tot malis non est obnoxius. At qui per ebrietatem peccat, plura mala agit, & cumulat, quam qui sobrius peccat. Ergo aggravat peccata, ideoq; non excusatur, sed merito punitur, & quidem gravius, quam qui sobrius peccat. Minor probatur: si quidem flagitium commissum per se peccatum est; huic si adjiciatur ebrietas; peccatum maxime augetur; nam ebrius Deum, rempubl. naturam, & seipsum offendit: Deum; hic enim aeternum vae illis denunciat, qui in potationibus strenuos sese praebent. Esai. 5. v. 11. & 22.. Rempubl. quia ebrius furioso vini halitu, & flammâ remp. laedit, multisq; & magnis damnis afficit; Naturam, quia hac per ebrietatem redditur imbecillis omnesq; vires amittit: Seipsum, deniq; & quia acies ingenii hoc modo hebetatur, iudiciumq; penitus corrumpitur. Hinc Pittacus olim temulentos, si quid flagitii comississet, duplo graviori poenâ plecti iussit. Laërtio lib. 1. in vita Pittaci & Aristoteles lib. 2. de Republ. c. 10. Apud Athenienses ebrius Princeps morte mulctabatur. Laërt. in Solon: Cæl. Rodig. lib. 15. lect. antiq. c. 6. Apud Indos mulier regem temulentum interficiens successorî nubebat. Alexand. ab Alexandr. lib. 3. c. 11. Et apud Muscovitas ebrii, licet Sacerdotes fuerint, publicè castigantur. Sigismund. Baro in Herberstein, in commentar. rerum Muscovi. Huc facit, quod ebrietas publicis Imperii legibus severè sit prohibita in Comitibus Augustanis Ann. 1400. 1430. 1548. subtit.

tit. de computationibus. Et Carolus V. Imperator, teste Wesenbe-
cio, in suis hereditariis provinciis constituit, ne ebrietas incedibus
excusationem afferat.

Pro questionis hujus decisione distinguendum est inter ebrie-
tatem & ebriositatem. Ebrietas est unicus iste actus, quo quis vino,
aut alio inebriante potu ita obruitur, ut ad actiones officii ritè obeundas
ac sustinendas ineptus evadat: hæcque duplex est: Spontanea & in-
vita, quæ vel ex ignorantia, vel violentia committitur. Ebriositas est
habitus, quo & appetitus animæ nō dissentiente corpore, spontè, prom-
ptè, crebrò, & cum desiderio ebrietati, ac computationibus invigilat.
Utraque quidem vitiosa est, illa tamen minorem, hæc verò gravio-
rem reprehensionem incurrit. Atque sic in ebrio, qui non datâ operâ, sed
vini vi non animadversa præter spem suam, & rarò inebriatur,
ebrietas poenam ex parte minuit, non ex se, sed ex accidente, respectu
voluntarii, quod quidem non planè tollitur, diminuitur tamen in eo,
qui ex improvise sine intentione ebrietatem contrahit, & in eâ præ-
ter institutum peccat. In ebrioso v. qui continuè sese vino ingur-
gitat, ebrietas peccatum adeò non excusat, ut potius aggravet.

Ad argumenta pro affirmativâ, & quidem ad primum re-
spondemus, quod infantibus, furiosis, mente captis, & quasi mortuis
comparentur non ebriosi, sed ebrii in summo ebrietatis gradu con-
stituti, & non ex proposito, sed magis ex impetu quodam peccantes.
Et quia eos post edormitam crapulam facti poenitet, nec perseveran-
tia accedit, ideò in levioribus delictis veniam merentur: in gravio-
ribus autem delictis, ubi culpa præcessit casum, benignius, & mitius,
hoc est, arbitrio judicis puniuntur. Alia autem jam ratio est ebrio-
si, qui ex vitioso habitu, & consuetudine quâdam sciens, volensque
inebriatur: Eum enim, si conspexerit esse rixosus, turbasque excita-
re, neque ignoret se tali vitio laborare, (quia tunc ebrietas cense-
tur destinata ad casum,) ordinariè plectendum esse omnes statuunt.
Præterea equiparantur ebrii furiosis, & insanis non absolutè, &
simpliciter in omnibus, sed in aliquibus tantum, videlicet in modo
agendi, non verò in causâ actionis, quæ in judiciis principaliter spe-
ctari debet. Hinc quia insanie causa involuntaria, & ex vitio na-
suræ: causa autem ebrietatis est voluntaria, & ex libertate arbitrii;

D

rectè

rectè fit, quod utraq; non aequaliter, vel iisdem legibus cœrceatur; præsertim etiam cum magis civitatem monstrosa ebrietas, quam furiosa insania lædat.

In secundò argumento negamus minorem. Nam delictum ebriosis non est involuntarium, sed voluntarium; ignoranter quidem peccat, sed non per ignorantiam: quia ignorantia illa non est causa peccati, sed ebrietas voluntaria, per quam sibi ignorantiam istam accersivit. Adde quod major etiam propositio tantum secundum quid vera sit; siquidem Judex non semper condemnat ex voluntate, seu intentione hominis, sed ex lesione majore, aut minore civitatis: Hinc Jurisperiti dicunt: Homo aliquando puniri potest, sine culpâ, si intentionem mentis, at non sine causâ, si lesionem civitatis spectes.

QUÆSTIO XI.

An judicia civilia inter Christianos sint
licita?

Quanquam per se satis manifestum est, Magistratus officium requirere, ut non tantum in publicos grassatores, pacem reipubl. turbantes animadvertat, sed & caveat, ne privatis personis damnum inferatur. Non tamen defuerunt, qui in dubium vocarint, an privata persona, (cum ei simpliciter prohibitum sit exercere vindictam) bonâ conscientia uti queat actionibus forensibus, hoc est, an possit implorare subsidium Magistratus, ut vel accuset aliquem coram judicio, vel pertractus in judicium opponat apologeticam responsionem, hoc sine, ut vel declinet injuriam intentatam ad sui, suorumq; defensionem, vel illatam propulset, vel restitutionem petat, & ablata repetat, vel aliquem ad poenam postulet.

Et quidem nostro seculo Anabaptistæ, omnia judicia inter Christianos, ceu illicita prorsus improbant, ac simpliciter damnant, uti videre est apud Joh. Wigandum in *Anabaptismo*. Conrad. Schlüsselburgium in *Catalogo Hereticor. lib. 12. de Anabaptistis*. Mart. Chemnicium *part. 2. LL. CC. tit. de Vindicta quest. 2. p. 131.* Ægidium Hunnium in *volumine disp. Theolog. disput. 64.*

contra

29

contra Anabaptistarum errores th 283. p. 663. Georg. Mylium in
Explicatione August. Confess. Artic. 16. fol. 204. fac. 2. & fol.
206. fac. 1. Leonh. Hutterum in Analyfi Methodicâ August. Con-
fess. disput. 20. thes. 89. pag. 622. item in L. L. C. C. Frid. Bal-
duinum in Casibus Conscientiæ, lib. 4. c. 12. cas. 5. p. 1170 Joh. Ger-
hardum Tom. 6. L. L. C. C. p. 699. & seqq. Lucam Osiandrum in
Enchiridio contra Anabaptistas, cap. 10. quæst. 3. p. 229. Petrum
Hinckelmannum in Refutatione Anabaptismi, disput. 14. Joh.
Pontanum in Catalogo Hæreticorum. c. 1. Joh. Scharpium Tom. 2.
Cursus Theolog. p. 250. Joh. Henr. Alstedium in Theologiâ Pole-
micâ p. 643. & alios plures.

Quibus admodum affines sunt recentiores Photiniani, qui licet
verbis profiteantur, se honorificè de Magistratu sentire; reipsâ tamen
ejus judicium, potestatem, & autoritatem labefactant, dum negant
Magistratui licere, ut judicium in fratres, sive fidei consortes exerceat.
Vid. Faustum Socinum in libello, quòd Evangelici Photiniani se
adjungere debeant. c. 3. pag. 23. Christoph. Osterodium in Insti-
tut. relig. Christian. c. 28. p. 168. Valentinum Smalcium in Re-
futatione disput. 7. contra D. Franz. de bonis operibus pag. 237.
seqq.

Verùm Anabaptistica, & Photiniana huic opinioni nos subscri-
bere non possumus. Quamvis n. litis comes ut plurimum sit miseria,
multa etiam devoranda molestia, multi faciendi sumtus, anceps sen-
tentia periculum subeundum, litigiorum fines non hominum solum,
sed & cervorum, cornicularumq; vivaces quandoq; superent etates:
Quamvis etiam altercandi, & litigandi studium, vel ex impatien-
tiâ vel avaritiâ, vel invidiâ, vel odio, vel studio nocendi, vel animo
vindicandi, vel libidine rixandi, vel alio quodam pravo affectu pro-
fectum, præsertim quando ob res frivolas, & leves, aut certè composi-
tu faciles protinus ad tribunal judicis curritur, & absq; ullâ condo-
natione fraternâ, absq; Christianâ patientiâ, absq; tentatâ prius
compositione, & reconciliatione amicabili, proximo lis intenditur;
quando item per mendacia, convitia, calumnias, fraudes imposturas
& insidias judiciarius processus instituitur, summâ verborum, &
animorum acerbitate omnia geruntur, & quidem non tam ad sui

defensionem, & justitiæ administrationem, quàm ad adversario-
rum confusionem, ruinam, damnum, & infamiam &c. quibusvis
cordatis viris, multò magis verò Christianis meritò exosum esse de-
beat; optandumq; esset, ut apud Christianos omnis omninò litigandi
rùm occasio, tùm consuetudo ita removeretur, ut cuiq; bona sua cum
pace possidere liceret. Quod si tamen propter effrenem malo-
rum proterviam in propriâ presertim causa res controversa ali-
ter transigi, ac decidi nequeat, licitum omninò est cuius Christi-
ano salvâ, & illasa pietate absq; ullo conscientie periculo ean-
dem iudicio persequi, adeoq; iudicis seu Magistratus auxilium
implorare, se, suosq; defendere, injuriam illatam propulsare, in-
tentatam declinare, per vim, & fraudem erepta repetere, ma-
leficos ad pœnam postulare, atque sic contra injuriantes in ju-
dicio legitimè agere. Sicut enim in aliis abusis rei à vero usui
semper est discernendus; ita etiam hoc loco accidentarii & vi-
tiosi abusus in civilibus judiciis sæpenumerò occurrentes, ab ipsis
civilibus judiciis, quæ in se, ac per se sunt licita, & ad civilis socie-
tatis conservationem summoperè necessaria, accuratè distingui de-
bent.

Confirmamus autem sententiam nostram affirmativam
immotis fundamentis, quorum 1. petitur à dictis Scripturæ, di-
vinam iudicum ordinationem asserentibus: Talia sunt 1. illa, in
quibus iudicium dicitur esse Dei, ut Deut. 1. v. 17. Ne timea-
tis à facie viri, quia DEI iudicium est. 2. Paralip. 19. vers. 6.
Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium sed
Domini. Et Psalm. 82. v. 1. DEUS dicitur stare, & iudicare
in medio Deorum, sive iudicum. 2. Expressum divinæ sapi-
entiæ effatum. Proverb. 8. vers. 16. Per me reges regnant, &
iudices justa decernunt. 3. Jussum divinum de constituendis
iudicibus. Deut. 16. vers. 18. Iudices, & præfectos constitues in o-
mnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per sin-
gulas tribus tuas, ut iudicent populum justo iudicio. Et Amos
cap. 5. v. 15. Constituite in portâ iudicium. 4. Illa loca, quæ
agunt de exercendo iudicio. Genes. 9. vers. 6. Quicumque ef-
fuderit humanum sanguinem per hominem fundetur sanguis illius,
Exod.

Exod. 21. v. 12. Qui percusserit hominem, & mortuus fuerit morte
 moriatur, Esai. 1. v. 17. Querite iudicium, subvenite oppresso, iudicate
 pupillo, defendite viduam, Jerem. 22. vers. 3. Facite iudicium
 & justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris, &
 advenam, & pupillum, & viduam nolite depradari; neque op-
 primatis iniquis. 5. Præcepta de officio iudicis rectè admini-
 strando tradita, qualia leguntur Exod. 23. vers. 6. Non inflectes
 iudicium pauperis. vers. 7. Mendacium fugies, infontem, & justum
 non occides. vers. 8. Nec accipies munera, quæ etiam excæcant
 prudentes, & subvertunt verba justorum. Deut. 1. v. 16. Quod justum
 est, iudicate, sive civis sit ille, sive peregrinus. cap. 16. v. 19. Non
 inclinabis iudicium: non accipies personam, nec munera; quia mu-
 nera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.
 cap. 19. v. 18. 19. Cum invenerint (iudices) falsum testem dixisse
 contra fratrem suum mendacium; reddent ei sicut fratri suo fa-
 cere cogitavit, & auferes malum de medio tui. cap. 25. v. 1. Si fue-
 rit causa inter aliquos, & interpellaverint iudices: quem justum esse
 perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt; quem impium, condemna-
 bunt impietatis. Psalm. 82. v. 2. Usquequò iudicabitis iniquita-
 tem, & facies impiorum suscipietis? v. 3. Iudicate pauperi, & pupil-
 lo: pauperem, & egenum iustificate. Eripite pauperem, & ege-
 num, & de manu impiorum eruite. Zach. 7. v. 9. Iudicium verum
 iudicate, & misericordiam, & miserationes facite, unusquisq;
 cum fratre suo. v. 10. Et viduam, & pupillum, & advenam, & pau-
 perem nolite calumniari: & malum vir fratri suo non cogitet in cor-
 de suo. 6. Mandata de implorando iudicis officio. Exod. 22.
 v. 9. Super omni prævaricatione tam in bove, quàm in asino, & ove,
 ac vestimento, & quicquid damni inferri potest, ad Deos, sive iudi-
 ces utriusq; causa perveniet. Deuter. 17. v. 8. 9. Si obscurior fuerit
 causa aliqua &c. venies ad sacerdotes Levitici generis, & ad iu-
 dicem, qui fuerit illo tempore, quaresq; ab eis, qui indicabunt ti-
 bi iudicii veritatem. Ex quibus abundè patet, iudicia civilia esse
 ipsius Dei originaliter, autoritative, & principaliter; Magistratus
 autem tantum ministerialiter, & instrumentaliter; ideoq; Christia-
 nos iis salvâ, & illesa conscientia uti posse.

Regerunt adversarii: Istæc omnia ad populum tantum Judaicum spectare, non v. ad populum Christianum; propterea se concedere, quod in Vet. quidem Testamento officium illud sit divinitus ordinatum, & mandatum; aliam autem esse rationem Novi Testamenti, in quo non liceat officium iudicis exercere, contendunt. Resp.

Hoc citius dicitur, quam probatur: Contrarium evidenter demonstrari potest: Et initio notabile est, quod Deus in ipso decalogo ad Vetus, & Nov. Testamentum pertinente, & tam Christianum, quam Judaicum populum obligante, ordinem judiciorum sanciat, probet, & confirmet: dicit enim in Octavo præcepto de ferendo testimonio; quod ad actiones forenses pertinere nullum est dubium. Sicut igitur in quarto præcepto officium Magistratum, & iudicium format: Ita in octavo præcepto usum actionum judicialium docet, ac probat. Deinde considerandum proponimus dictum Christi Matth. 5. v. 25. & Luc. 12. v. 58. Cum vadis cum adversario tuo ad principem in viâ, da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Ubi Christus ad fraternam reconciliationem nos adhortaturus argumentum petit ex iudiciorum ordine, & eventu. Jam autem à rebus illicitis nunquam argumenta probationis, & Illustrationis desumpsit. Si itaq; improbasset iudicia, damnasset potius accusantem, & iudicem, quam consilium dedisset accusato, quomodo ab accusatoris molestiâ, & iudicis irâ sese expedire, & liberare debeat. 3. Urgemus in primis classicum locum Apostoli Rom. 3. v. 1. Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. v. 2. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: Qui autem resistunt, ipsi sibi iudicium acquirunt. v. 3. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali; Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illâ. v. 4. Dei enim minister est, tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est vindex in iram ei, qui malè agit. Quod si igitur juxta Apostolum, magistratus ratione officii, & iudicii sui, quod exercere debet, est ex divinâ ordinatione, cui non resistendum, estq; Dei minister, & quidem subdi-

subditis constitutus in bonum; (bonum enim publicum promovet justitiam administrando, justos defendendo, fontes puniendo,) utiq; non erit illicitum in Novo Testamento legitima judicia exercere, & officium magistratus, urgente necessitate, decenter implorare. Huic loco Paulino adjungimus alterum ex 1. Cor. 6. v. 9. Sic non est inter vos sapiens quispiam, qui possit judicare inter fratrem suum? Quibus verbis Apostolus luculenter docet, causas fidelium coram fidelibus omninò judicari posse, ac proinde Christianismum cum judicis officio minimè pugnare. 4. Conjungendum deniq; est cum precedentibus pronunciatum Apostoli Petri. 1. Epist. c. 2. v. 13. 14. Subjècti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus, tanquàm ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Ubi subditis necessitas obediendi, magistratui v. potestas imperandi adscribitur: atq; hoc ipso divina autoritas publicæ vindictæ haut obscure astruitur: Illius autem vindictæ potissima pars est ordo judiciorum quibus Christiani salvâ, & illis à conscientia uti possunt, non saltem quando Magistratus ultrò operam suam offert, & auxilium præstat; sed etiam quando legitimâ actione petendum est subsidium legum & Magistratus: nihil enim mali petitur, sed sicut à Deo defensionem petere licitum est, ita etiam vindictam, quæ Magistratui mandata est, & ipsius Dei vindicta est, per actiones forenses rectè, & secundum leges implorare omninò licitum est: hunc enim in finem Deus ordinem judiciorum sanxit, hisq; genus humanum subjecit. Itaq; judiciis rectè uti est obedientia quadam, & cum verbo Dei minimè pugnat.

2. Desumitur à probatis exemplis eorum, qui vel judicis officio functi sunt, vel defensionem, & officium judicis implorarunt. Sic in Vet. Testamento multi ex iis, qui fuerunt sancti, & Deo probati viri, judicia exercuerunt, controversias forenses pertractarunt, lites subditorum diremerunt, omnesq; muneris judiciarii partes peregerunt. Tales fuerunt Moyses, qui non saltem gentem Israeliticam ipse judicavit, Exod. 18. v. 13. sed & alios inferiores judices de consilio soceri sui populo præfecit, ibidem v. 21. seqq. Josua, Num. 27. v. 19. 20. 21. Othoniel. Judic. 3. v. 9. 10. Gedeon, Judic. 6. v. 14. 15. Jephthe

15. Jephthe Judic. 11. v. 11. aliq̄, judices, quos Dominus dicitur susci-
tasse, Judic. 2. v. 16. item Samuel. 1. Sam. 7. v. 6. nec non reges ut
Saul. 1. Sam. 9. v. 16. David. 2. Sam. 5. v. 12. Salomon 1. Reg. 3. v. 7.
& c. 10. v. 9. Jehu 2. Reg. 9. v. 23. seq: Sic Josaphatus pientissimus
rex inter cetera eo etiam nomine maximè celebratur, quod in cunctis
urbibus Juda munitis, per singula loca judices constituerit, & ut juste
judicarent sedulo admonuerit, 2. Paral. 19. v. 5. seqq. Ubi autem
judices ordinantur, & judicia approbantur, ibi etiam remedia juris,
hoc est, accusationes, defensiones, exceptiones, appellationes. & si-
milia haut dubiè locum habent, rectèq; usurpantur. Hinc Naboth
vineam suam Achabo Regi vendere recusavit. 1. Reg. 21. v. 3. oppo-
nens exceptionem ex lege Dei, que Num. 36. v. 7. prohibet, ne here-
ditates de tribu ad tribum transferantur. Itaq; beneficio juris quie-
tam rerum suarum possessionem sibi vendicavit. Huc etiam pertinet
exemplum Prophetæ Elisæi, qui piæ viduæ operam suam offert, si
quid habeat negotii, de quo vel Rex vel princeps militia sit inter-
pellandus 2. Reg. 4. v. 13. In Novo Testamento Christus ipse
suo exemplo nos instruit de judiciis rectè formandis, & de officio ju-
dicis licite implorando, quando præter meritum, & contra juris or-
dinem à summi Pontificis seruo percussus dicit, Joh. 18. v. 23. Si
malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem
benè, quid me cædis? Quibus verbis ad legitimi judicii ordinem
provocat, qui non permittit, ut causâ nondum cognitâ innocens
percutiatur. Consimiliter Apostolus Paulus ipsum Pontificem, de
neglecto veri judicii processu accusat, dum ita eum alloquitur: Tu
sedens judicas me secundum legem, & contra legem jubes
me percuti Act. 23. v. 3. Idem cum intelligeret vitæ suæ insidias à
Judæis strui imploravit magistratus auxilium, ut vitam suam
tueretur Actor. 23. v. 17. Cumq; adversarii judicio cum ipso con-
tendere vellent, non detrectavit, nec causam suam deseruit, sed ac-
cusatoribus suis responsionem defensoriam opposuit, Actor. 25. v. 8.
Seqq. Imò cum animadverteret, tribunal Præsidis à Judæis esse cor-
ruptum, contra injustam sententiam etiam legitimi magistratus usus
est subsidio legum, quibus civi Romano concedebatur jus provocan-
di ad Cæsarem, Act. 25. v. 9. 10. 11. Si igitur judicem agere, itemq;
officium

officium iudicis contra illatas injurias implorare, probatis sanctorum exemplis congruit; utique iudicia in, & per se Christianis non erunt illicita.

3. Ab utilitate, & necessitate iudiciorum civilium: Cum enim juxta vulgatam regulam, Evangelium non tollat, aut aboleat politiam, idcirco id, quod ad reipubl. conservationem maxime utile, summeque necessarium est, absolute, ac per se illicitum Christianis esse nequit. Iudicia autem civilia non modo utilia, sed & necessaria esse ad constituendam, & conservandam politiam manifestè constat: quia sunt veluti statera æquitatis, vox legis, omnisque contentions, ac litis consummatio, in quibus cardo reipubl. vertitur, justitiæ, vis, perfectio, & administratio collocatur; ut loquitur Casus lib. 4. Sphær. civit. c. 16. p. 313. Profunt enim 1. ad veritatem patefaciendam: quæ, cum sæpius delitescat, & cognita sit per quàm difficilis, per iudicia, tanquam per commune quoddam civitatis oraculum, in aspectum, lucemque profertur, & quid justum, ac æquum sit, manifestatur. 2. Ad justitiam administrandam: ut enim legitimo possessori bona sua relinquuntur, aut restituantur, & delinquentes meritis poenis afficiantur, iudiciorum auctoritati acceptum est ferendum, quæ ideo publicè introducta est, ut quisque rebus suis quietè uti frui, & ablata sine privata vindictâ per viam juris legitimis actionibus recuperare possit. 3. Ad defensionem nostri, nostrorumque obtinendam: ut enim boni defendantur, & improborum conatus, seu injuriæ retundantur, iudicium opus est. Unde Cicero in Orat. pro Cecinna ait: Omnia iudicia, aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum malefactorum causa reperta sunt. 4. Ad externam disciplinam, & publicam pacem conservandam: Nam magna ingeniorum diversitas, vel potius malitia facit, ut non raro inter homines gravissimæ suboriantur lites, & contentiones, quæ civium concordiam mirificè turbare, imò totam hominum societatem funditus evertere possunt, nisi iudicum sententiis dirimantur, & reprimantur. Firmamentum enim reipubl. in iudiciorum integritate consistit, ut rectissime olim pronuntiavit Demosthenes in Oratione *Ἐπι τοῦ ἔτους* & Osor, lib. 8. de Regis institut. c. 4.

E

Unde

Unde apparet, judicia civilia ad rerum publ. conservationem non tantum utilia, sed etiam summoperè necessaria esse. Nam subla-
tis judiciis 1. Leges in republ. necessariae nihil valebunt, &
proderunt; siquidem per judicia fit executio legum, earumq; autori-
tas per illa munitur, & stabilitur. Ideò Cic. pro Cluentio dixit: Le-
gum interpretes esse iudices. 2. Veritas supprimetur: unde neq;
negata per viam probationis confirmari, neq; occulta delicta per vi-
am inquisitionis manifestari amplius poterunt. 3. Justitia exulabit.
Nemo enim possessiones suas quiete obtinere, nemo etiam contra vim
aut injuriam illatam satis se tueri poterit, sed innocentes, & inferio-
res à potentioribus, omni calumniarum, fraudum, & injuriarum
genere affligentur, ac pungentur. 4. Boni non defendentur, &
mali non punientur. Ubi enim deest judiciorum civilium exerci-
tium, ibi injuria, fraudes, rapinae, caedes, aliaq; delicta impunè gras-
santur, & in immensam ita crescunt, ut postmodum nullus defenden-
dis piis, & puniendis malis locus relinquatur. 5. Externa discipli-
na, & publica pax cum ordine politico planè abolebitur, & hor-
renda quaedam omnium rerum confusio, cum reipubl. nec non Eccle-
siae, quae sine externa disciplina conservatione colligi nequit, presentis-
simam ruina introducetur. Ex quibus omnibus sequitur, judicia ci-
vilia inter Christianos non esse illicita, sed maximè licita.

QUAESTIO XII.

An aliquis sibi ipsi injuriam inferre possit?

Plato statuebat, neminem erga alium esse injurium, nisi prius sit
erga se ipsum injurius. Contra hanc opinionem disputat Aristote-
les lib. 5. Eth. Nic. c. 11. ostendens neminem sibi ipsi posse injuriam
facere. Quae sententia nititur sequentibus rationibus. 1. Quicumq;
non potest eandem rem simul sibi ipsi dare, & auferre, ille etiam non
potest sibi ipsi injuriam facere. Nam qui injuriam facit, is aufert
alicui id, quod ei debetur, & illud vel sibi, vel alteri tribuit. Jam
autem nemo potest eandem rem sibi ipsi dare, & auferre: haec enim
sunt contraria, quae simul neq; eidem inesse, neq; de eodem predicari
possunt.

possunt. Ergo nemo potest sibi ipsi injuriam facere. 2. Quicumq;
 à se ipso non est alius, vel diversus, is in seipsum etiam injurius esse ne-
 quit: Sicut enim justitia est virtus $\omega\epsilon\gamma\varsigma \epsilon\tau\epsilon \rho\omicron\nu$, h. e. cuius actio in
 alterum dirigitur. Ita etiam injustitia est vitium $\omega\epsilon\gamma\varsigma \epsilon\tau\epsilon \rho\omicron\nu$, h. e.
 cuius actio in alterum dirigitur. Jam autem nemo à seipso potest esse
 alius vel diversus. Ergo etiam nemo in seipsum potest esse injustus,
 aut injurius. 3. Si fieri non potest, ut aliquis simul 1. agat spontè, &
 patiatur invitus. 2. agat ex voluntate, & patiatur præter suam vo-
 luntatem & $\omega\epsilon\gamma\omicron\lambda\iota\sigma\tau\epsilon\omicron\nu$ 3. sit prior in actione, & posterior in
 passione; fieri etiam nequit, ut aliquis seipsum injuriâ afficiat. At
 prius verum. Ergo & posterius. Connexio patet: quia si aliquis
 posset seipsum injuriâ afficere necesse esset, ut omnia ista sex contraria
 attributa simul de eo affirmari possent: nempe spontè & invitus; de-
 inde ex voluntate, & præter voluntatem deniq; prius & posterius; imò
 etiam ipsum agere, & pati, simul de eodem dicerentur. 4. Qui non po-
 test spontè pati injuriam, ille etiam seipsum non potest injuria afficere:
 quia illa actio, & passio proficiscuntur ab eodem principio. Itaq;
 necesse est, ut etiam eodem modo sese habeant. At nemo potest spon-
 tè pati injuriam; volenti enim non fit injuria. Ergo etiam nemo se-
 ipsum injuria afficere potest. 5. Si aliquis potest seipsum afficere inju-
 riâ, necesse est, ut illud faciat, secundum certam aliquam speciem in-
 juria, per quam alteri damnum aliquod adfert, aut alterum lædit:
 quia omnis injuria conjuncta est cum læsione alterius, tam quoad
 bona externa, quàm quoad famam, & existimationem. Sed nemo
 potest sibi ipsi hoc modo damnum aliquod secundum certam inju-
 ria speciem asserre, v. gr. Nemo potest sibi ipsi sua furari, seu rapere,
 aut seipsum decipere, aut sibi ipsi convitium dicere, aut cum
 suâ propriâ uxore adulterium committere. Ergo
 nemo potest seipsum injuriâ afficere:
 id quod erat demonst-
 randum.

SOLI DEO GLORIA.

Ad Humanissimum Dn. Respondentem.

Οὐ παύσομαι ποτ' ἄχισταδαί, ΓΩΖΙΕ,
Εὐφημέειν τέ σοι, καλὸν λέγων ἔπιθ.
Οἷθ' μακρὰν δέεις ἀμείψας καὶ σενήν
ἠδ' ὀρθίαν, ἀλλ' Ἐπιθεῖ, τυραννικὴν,
Πλήρη κλέος, ἐπ' Ἐγενῆ ἀρετὴν, ὁδόν:
Τοῖθ' διέσομαι καὶ γὰρ ἘΦημῶν, τὲν
Αἰτῶν θέορτον ὄλβον ἠδ' Ἐανθέας
Πολύν θ', ἀπάντων Ἰ Ἐτυχεῖσθ' πραγμάτων.

M. Joh. Ericus Ostermanus, Coll.
Phil. Adjunctus.

SIC est, quod Veteres olim dixere, probatum:

Conveniunt rebus nomina sæpè suis.

Ipsus eris Simon, mihi testis certior omni,

Nam vide quàm scitè nomen in omen abit.

Simon à **Π**inguis es, omen habet, non quod sis corpore pinguis

Pinguis sed variis artibus ingenuis.

Hoc docet ingenium, probat hoc solertia mentis,

Et quid? nemo negat, qui legit hæcè leges.

Perge ita, ceu pergis, Simon, virtute tenere

Cursum sis pinguis corpore, sis animo.

Artibus Ἐ sophiâ sic fies pinguior, usq;

Ipsa tibi Virtus digna βραβεῖα dabit.

Hoc honoris & amoris ergò f.

Georgius Wilhelmus Bürger, Adorfia Variscus.

EN suaves fructus, noster quos Götzius affert,

Et, faciat quid, monstrat, consuluisse pericos

Artis, ceu morum. Sed nil laudo, facit ipsa

Splendida res hoc, certantem qui videt, ille

Laudes, Ἐ pia vota canit; saltem precor unum.

Götzius ille gerat mox sic certamina plura.

Salomon Friederich, Dn. Respond. Amitinus.

F I N I S.

05 A 2350

ULB Halle
003 784 193

3



Von





